

- GE.* "aediculae item sunt ob decem alias." *DE.* oieï
nimiumst. *CH.* ne clama : <re>petito hasce a me decem.
- 60 *GE.* "uxori emunda ancillulast ; tum pluscula 665
supëllectile opus est ; opus est sumptu ad nuptias :
his rebu' pone sane" inquit "decem minas."
DE. sescentas perinde scribito iam mihi dicas :
nil do. inpuratu' mẽ ille ut etiam inrideat ?
- 65 *CH.* quaeso, ego dabo, quiesce : tu modo filium 670
fac ut illam ducat nos quam volumus. *AN.* ei mihi
Geta, occidisti me tuis fallaciis.
CH. mẽã causa eicitur : mẽ hõc est aequom amittere.
GE. "quantum potest me certiozem" inquit "face,
70 si illam dant, hanc ut mittam, ne incertus siem ; 675
nãm illi mihi dotem iam constituerunt dare."
CH. iam accipiat : illis repudium renuntiet ;
hanc ducat. *DE.* quae quidem illi res vortat male !
CH. opportune adeo argentum nunc mecum attuli,
75 fructum quem Lemni uxori' reddunt praedia : 680
ind' sumam ; uxori tibi opus esse dixero.

- AN.* Geta. *GE.* hem. *AN.* quid egisti? *GE.* emunxi
argento senes.
AN. satin est id? *GE.* nescio hercle : tantum iussu' sum.
AN. eho, verbero, aliud mihi respondes ac rogo?